



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

L. Annæi Senecæ Ad Pavllinvm De Brevitate Vitæ Liber Vnvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

L. ANNÆI SENECAE  
AD PAULLINVM  
DE BREVITATE VITÆ  
LIBER VNVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

**B** **D**E tempore huius scripti, haud nimis constat ( nisi quodd post Caium: ) admodum de bonitate. O pulchri, & utilis argumenti! tractemus, & imbibamus. Hypothesis est, Vitam non esse breuem, sed à nobis fieri: vel non vtendo, vel malè, aut vanè, vtendo. Hec sic diducit. Primum, vitis mancipamur, quibus eum absumitur & perit. Secundo, Inutiliter occupamur, in parum seruis, & quæ Officia vocamus. Tertio, Opione aut præsumptione peccamus, & hoc breuem facit, quod longam vitam censemus. Præsentia spernimus, futura disponimus, tanquam in magnâ & certâ copiâ. Et plerique ad vana, aut aliena, labimur, & perdimus vitam quasi per lussum. Hec talia ad Cap. vsque x. Inde partitur in tria omne Tempus, Præteritum, Præsens, Futurum: & quàm malè aut ineptè nos in singulis geramus, docet. Inuehitur in occupationes futiles, in delicias, in luxus, ignaua otia, etiam superflua litterarum studia. Hic aliquid sistit, & vitam hodiernos etiam Philologos trahat aut mutet! Solum tempus bene poni, quod Sapientiæ studiis impenditur: per quam vita verè sit longa. Contra vulgus, æstimat eam à Fortunâ: vt hæc leta aut tristis obuénit, sic vitam æstimat breuem aut longam. In tristibus mortem appetunt, in letis timent. Adhortatio in fine ad Paullinum: quid ad illum? ad se quisque ducat, vt maturè sapiat, in portum vitæ & honestum otium secedat. Mibi voueo, & nitor.

CAPVT PRIMVM.

**D** **M**AIOR pars mortalium, <sup>1</sup> Paulline, de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum eui gignimur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant: adeò vt, exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, vt opinantur, malo, turba tantùm & imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic affectus querelas euocauit. Inde illa <sup>2</sup> maximi medicorum exclamatio est, <sup>3</sup> Vitam breuem esse, longam artem. Inde <sup>4</sup> Aristoteli cum rerum naturâ <sup>5</sup> exigenti, minimè conueniens sapienti viro lis est: illam animalibus tantum indulsisse, vt <sup>6</sup> quina aut dena secula <sup>7</sup> edurent, homini in tam multa ac magna genito, <sup>8</sup> tanto ceteriorè terminum stare. Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. <sup>9</sup> Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur. Sed vbi <sup>10</sup> per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur; vltimâ demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est. non accepimus breuem vitam, sed fecimus: nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplæ & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur: at quamuis modice, si bono custodi traditæ sunt, vsu crescunt: ita ætas nostra, bene dispo-

- II. disponenti, multum patet. Quid de rerum naturâ querimur? illa se benignè gef- A  
sit. vita, si scias vti, longa est. Alium insatiabilis tenet auaritia: alium in superuacuis la-  
boribus operosa sedulitas: alius vino madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alie-  
nis iudiciis suspensa semper ambitio: alium mercandi præceptus cupiditas circa omnes  
terras, omnia maria, spe lucri ducit. Quosdam torquet cupido militiæ, numquam non  
aut alienis periculis intentos, aut suis anxios: sunt quos <sup>11</sup> ingratus superiorum cultus  
voluntariâ seruitute consumat. Multos aut affectatio <sup>12</sup> alienæ fortune, aut <sup>13</sup> suæ odium  
detinuit: plerosque nihil certum sequentes, vaga & inconstans, & sibi displicens leui-  
tas, per noua consilia iactauit. Quibusdam nihil quò cursum dirigant, placet, sed mar-  
centes oscitantesque fata deprehendunt: adeò vt quod apud <sup>14</sup> maximum poctarum,  
more oraculi dictum est, verum esse non dubitem:

*Exigua pars est vite, quam nos viuimus.*

ceterum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est. Vrgentia circumstant vitia  
vndique: nec resurgere, aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed merfos, & in B  
cupiditatibus infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet: sed si quando ali-  
qua quies fortuitò contigit, velut in profundo mari, in quo <sup>15</sup> post ventum quoque vo-  
lutatio est, fluctuantur, nec vnquam illis à cupiditatibus suis otium instat. De istis me  
putas disserere, quorum in confesso mala sunt? aspice illos, ad quorum felicitatem con-  
curritur: bonis suis effocantur. Quàm multis graues sunt diuitiæ? quàm multorum  
eloquentia, quotidiano ostentandi ingenij <sup>16</sup> spatio, <sup>17</sup> sanguinem educit? quàm multi  
continuis voluptatibus pallent? quàm multis nihil liberi relinquit circumfusis clien-  
tium <sup>18</sup> populus? Omnes denique istos, ab infimis vsque ad summos, per terra: hic ad-  
uocat,

## COMMENTARIVS.



AP. I. 1. PAVLLINE.] *Seneca vxor  
Paullina. Ergone fratri, aut patri eius  
inscribit? illi potius, ex aia. e., de  
quâ cap. XIX.*

2. MAXIMI.] *Hippocratis. qui  
iure vindicat hoc elogium.*

3. VITAM.] *Verba initio Aphorismorum: Ο βίος  
βροτῶν ἡ δὲ τὴν μακρῶν.*

4. ARISTOTELI.] *Itane? atqui Theophrasto Tul-  
lius in Tusculanis adscribit. Theophrastus mor-  
riens, inquit, accusasse naturam dicitur, quòd cer-  
uis & cornibus vitam diuturnam, hominibus  
tam exiguam dedisset. Et verò Aristoteles aliter v.  
De generat. anim. cap. X. Homo plus temporis vi-  
uit, quàm quoduis animal, excepto vno elephan-  
te: quod quidem experienciâ adhuc fide dignâ  
sit cognitum.*

5. EXIGENTI.] *Quasi dicas, Expostulanti. Epist.  
XXVII. Mecum exigo: hoc ipso sensu.*

6. QVINA AVT DENA.] *Imò & plura, ex Au-  
sonij Eidullio De statib. animal. quod lege.*

7. EDVRENT.] *Bene, ut scripti tamen educerent.*

8. TANTO CITERIOREM.] *Breniorem, nec sic  
productum. Querela hæc poetis etiam vsurpata, ut  
Pedom, in obitu Musagetæ illius Macenatis:*

*Redditur arboribus florens reuidentibus ætas:*

*Viuacesq; magis ceruos decet esse pauentes,*

*Siquorum in toruâ cornua fronte rigent?*

*Viuere cornices multos dicuntur in annos:*

*Cur nos angustâ conditione sumus?*

*Adde Moschum, in Epicedio Bionis.*

9. SATIS LONGA.] *Cum eo Sallustius: Falsò  
queritur de naturâ suâ genus humanum, quòd  
imbecilla atque cui breuis, forte potius quàm vir-  
tute regatur. Nam contrâ reputando, neque ma-  
ius aliud neque præstabilis reperias, magisq; na-  
turæ industriam hominis, quàm vim aut tempus  
deesse. Sunt istis paria, & Seneca adspexerit.*

10. PER LVXVM.] *Ista verò palàm à Sallustio:  
Vbi per secotidiam vires, tempus, ingenium de-  
fluxere, naturæ infirmitas accusatur.*

CAP. II. 11. INGRATVS.] *Qui gratiam non  
reddit.*

12. ALIENÆ.] *Cui pares esse nituntur, & sa-  
pe frustrâ.*

13. SVÆ.] *In qua sibi displicent, tristes & Ti-  
monæi.*

14. MAXIMUM.] *Virgilium putes, sed versus  
abnuat. An Publium igitur Mimographum capis, quem  
sensuum & sapientiæ sepe miratur noster? atque adeò  
alibi, vehementiorem tragicis comicisque inge-  
niis, facit. An & Ennium, non dignitate quidem aut  
præstantiâ maximû, sed ætate? Nam quod Muretus  
acutè sufficiebat, apud Actium poetam: vercor ut  
sufficeret, in nullâ vacillatione librorum.*

15. POST VENTVM.] *Noster De tranquill. cap. 11.  
Sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris  
aut lacus, cum ex tempestate requieuit. Imago ea  
& apud poetas, ut ibi dixi.*

16. SPATIO.] *Certo statosq; diei tempore, ita enim  
declamatores illi solent. Displicet tamen quibusdam:  
si & tibi, studio licet legas.*

17. SANGVINEM.] *Ruprà, ut solet, veniâ.*

18. POPVLVS.] *Multitudo.*

15. CON.

Auocat, hic adest: ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat. Nemo se sibi vindicat: alius in alium<sup>19</sup> consumimur. Interroga de istis, quorum<sup>20</sup> nomina ediscuntur: his illos dignosci videbis notis: Hic illius cultor est, ille illius, suus nemo. Deinde dementissima quorundam indignatio est. queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacauerint. Audet quisquam de alterius superbiâ queri, qui sibi ipse numquã vacat? Ille tamen, quisquis est, insolenti quidem vultu, sed aliquando<sup>21</sup> respexit: ille aures suas ad tua verba demisit: ille te<sup>22</sup> ad latus suum recepit. tu non inspiceret vniquam, non audire dignatus es.

III.

Non est itaque quod ista officia cuiquam imputes: quoniam quidem cum illa faceres, non esse cum aliquo volebas, sed tecum esse non poteras. Omnia licet quæ vniquam ingenia fulserunt, in hoc vnum consentiant, nõquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia sua occupari à nullo patiuntur: & si exigua contentio est de modo finium, ad lapides & arma discurrunt: in vitam suam incidere alios sinunt, imò verò ipsi etiam possessores eius futuros inducunt.

B Nemo inuenitur, qui pecuniam suam diuidere velit: vitam vnusquisque quàm multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in eo, cuius vnus honesta auaritia est. Libet itaque ex seniorum turbâ comprehendere aliquem. Peruenisse te ad vltimum ætatis humanæ videmus: censimus tibi, vel supra, premitur annus. agedum, ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum amica,<sup>23</sup> quantum reus, quantum cliens abstulerit: quantum lis vxoria, quantum seruorum coërcitio, quantum officiosa per urbem discursatio. Adice morbos, quos<sup>24</sup> manu fecimus: adice, quod & sine vsu iacuit: videbis te pauciores annos habere, quàm numeras. Repete memoriã tecum, quando certus consilij fueris, quotus quisque dies vt destinaueras recesserit; qui tibi vsus tui fuerit; quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo æuo facti operis sit; quàm multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente quid perderes, quantum vanus dolor, stulta læticia, auida cupiditas, blanda conuersatio abstulerit; quàm exiguum tibi de tuo relictum sit: intelliges, te immaturum mori.

IV.

C ergo est in causâ? Tanquam semper victuri viuitis: numquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non obseruatis quantum temporis transierit. velut ex pleno & abundanti perditis: cum interim fortasse ille ipse, alicui vel homini vel rei donatus, vltimus dies sit. Omnia, tanquam mortales, timetis: omnia, tanquam immortales, concupiscitis. Audies plerosque dicentes: <sup>25</sup> *A quinquagesimo in otium secedam: 26 sexagesimus annus 27 ab officij me dimittet.* Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem confecti possit? Quàm seruum est, tunc viuere incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia: & inde velle vitam inchoare, quod pauci perduxerunt? Potentissimis, & in altum sublatis hominibus, excidere voces videbis, quibus  
otium

D 19. CONSUMIMVR.] *In gratiam fructumq; alter alterius impendimur: ipsi & atas, vicissitudine officiorum, perimus.*

20. NOMINA EDISC.] *Qui isti? an patroni & clari oratores? de quibus in libello De causis corrupt. eloq. Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt: quos sepius vulgus & tunicatus hic populus nomine vocat, & digito demonstrat? Sed intendenti aliud se deat, censentq; Senecam de Clientibus & saluatoribus loqui: quorum nomina satis notum est edidisse nomenclatores. Nam sententia tota est: Interroga de omni hoc officioso populo; occurret audire, Hic illum colit, alius alium, sese nemo.*

21. RESPEXIT.] *Inuenatis:*

*Vt respiciat clauso Veiento labello.*

22. AD LATVS.] *Per honorem. ex ante ambulone comitem fecit.*

CAP. III. 23. QVANTVM REVS.] *Meus, rex: & de Cliente sequitur. scimusq; vulgo ita dictos, quos colebant. Plautus: Nunc postquam meus rex est potitus hostium. Horatius: - equus me portet, alat rex.*

24. MANV FECIMVS.] *Ipsi luxu aut vitio nostro arce stinimus. Crebrum in Senecâ, & alibi exemplis affirmatum.*

CAP. IV. 25. A QVINGVAGESIMO.] *Exemplo militia, à quâ tunc vacatio.*

26. SEXAGESIMVS.] *Exemplo Senatorum, de quo in fine libelli vide.*

27. AB OFFICIIS.] *Publicisne muneribus? an potius illis priuatis officijs salutandi, deducendi? nam in his Roma suos tenebat, aut terebat.*

28. S:

otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant. Cupiunt interim ex illo fastigio A suo, <sup>28</sup> si tutò liceat, descendere. nam vt nihil extra laceſſat, aut quatiat, in ſe ipſa fortuna  
 V. ruit. Diuus Auguſtus, cui dij plura quàm vlli præſtiterunt, <sup>29</sup> non deſiit quietem ſibi precari, vacationem à Rep. petere. Omnis eius ſermo ad hoc ſemper reuolutus eſt, vt ſibi ſperaret otium. Hoc labores ſuos, etiam ſi falſo, dulci tamen oblectabat ſolatio, aliquando ſe victurum ſibi. In quadam ad ſenatum miſſâ epistolâ, cùm requiem ſuam non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloriâ diſcrepantem, pollicitus eſſet, hæc verba inueni: *Sed iſta fieri ſpecioſius, quàm promitti poſſunt. me tamen cupido temporis optatiſſimi mihi, prouexit, vt quoniam rerum letitia moratur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.* <sup>30</sup> Tanta viſa eſt res otium, vt illam, quia vſu non poterat, cogitatione præſumeret. Qui omnia videbat ex ſe vno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exueret. Expectus erat, quantum illa bona, per omnes terras fulgentia, ſudoris exprimerent, quantum occultarum ſolicitudinum tegerent: <sup>31</sup> cum ciuibus primùm, deinde cum <sup>32</sup> collegis, nouiſſimè cum <sup>33</sup> affinibus, coactus armis decernere, mari terraque fanguinem fudit: per Macedoniam, Siciliam, Ægyptum, <sup>34</sup> Syriam, Aſiamque, & omnes propè oras bello circumactus, Romanâ cæde laſſos exercitus ad externa bella conuertit. Dum Alpes pateat, immixtosque <sup>35</sup> mediæ paci & imperio hoſtes perdomat, dum <sup>36</sup> vltra Rhenum, <sup>37</sup> Euphratem & <sup>38</sup> Danubium terminos mouet, in ipſâ vrbe, <sup>39</sup> Murenæ, Capionis, Lepidi, Egnatorum in cum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat inſidias: filia, & tot nobiles iuuenes adulterio <sup>40</sup> velut ſacramento adaçti, iam <sup>41</sup> infraçtam atatem territabant: poſtquam & iterum timenda <sup>42</sup> cum Antonio mulier. Hæc <sup>43</sup> vlcera cum ipſis <sup>44</sup> membris abſciderat: alia ſubnaſcebantur. velut cùm graue multo fanguine eſt corpus, partes ſemper aliquæ rumpebantur. Itaque otium optabat: in huius ſpe & cogitatione labores eius reſidebant: hoc votum erat eius, qui voti compotes facere poterat.

28. SI TUTÒ.] *Noſter De Clem. l. cap. viii. Et hæc eſt ſummæ magnitudinis ſeruitus, non poſſe fieri minorem. Plura ibi.*

CAP. V. 29. NON DESIIT.] *Totiſne igitur? atqui Suetonius, in eo, cap. xxviii. De reddendâ rep. bis cogitauit. Primò poſt oppreſſum ſtatim Antonium: ac ruruſus tedio diuturnæ valetudinis. Quod poſterius, fuit in Conſulatu eius vii. vt notat Dio lib. l. iiii. initio, vbi & oratio eius in Senatu dicta. Sed nempe ſerid bis hoc egit & prodidit: ſapius tamen vouit, & iniicit, vt hic in Epistolâ ad Senatum miſſâ.*

30. TANTA VISA.] *Et mihi, qui cum Socrate appellem οὐδὴν, καλλίστεν κτημάτων: otium, optimum rerum. Plinius Traiano: Cùm otium à te, tamquam res optima, & petatur, & detur.*

31. CVM CIVIBVS.] *Nempe in bello & acie Philippenſi.*

32. COLLEGIS.] *M. Lepido, quem Triumuiratu, copiis, & libertate ſpoliauit. Sed & M. Antonius iungi poteſt, cum quo ſapius diſſedit, & bellum ad eò Peruſinum cum fratre & vxore eius, quanto minus ipſo? gēſit.*

33. AFFINIBVS.] *Latiore numero, vnum Antonium intellegit, bello Actiaco iam ad ſinem & fratrem, per vxorem Octauiam.*

34. SYRIAM ASIAMQUE.] *An & ibi ſedes ciuilium tunc bellorum? non, ſed tamen tranſiit. Suetonius de Auguſto, cap. xvii. victo iam ad Actium Antonio: Aſiæ Syriæque circuitu Ægyptum petiit.*

35. MEDIÆ PACI.] *Ad ſitum Alpium, qui Galliam & Italiam interieçti. Hæc autem olim pacata: & ipſe recentier domuit Rætiam, Vindelicos, Salafſos, gentes Inalpinas. Suetonius.*

36. VLTURA RHENVM.] *Duce Druſo.*

37. EUPHRATEM.] *Duce C. Caſare filio, qui ius in Armeniâ vindicauit.*

38. DANUBIUM.] *Variis ducibus circa eum bella: nec vltra tamen ſines mouit. Itaque quod hic eſt, mouet: cape, mouere conatur & ſperat.*

39. MURENÆ.] *Vide de his omnibus, Senecam l. De Clem. cap. ix. Suetonium, XXI. Tacitum l. Annalium.*

40. VELUT SACRAM.] *Sententia eſt. Iulia adulterio ſic auctorati & deuinciti, vt milites ſacramento ſolent. Mulier habebat ad ſas & neſas paratos.*

41. INFRACTAM.] *Ita, nam agebat Auguſtus, ſub tempus iſtud pulſe Iulie, annum lviii. circiter.*

42. CVM ANTONIO.] *Pulchra alluſio. Cleopatra cum M. Antonio terruerat ſanè Auguſtum & rem Romanam: ecce iterum & ſecundo, inquit, alia mulier, alius Antonius. Hic autem iſte, filius eſt M. Antony ex Fuluiâ, Iulus Antonius dictus, & ad Conſulatum ab Auguſto eueçtus. Diximus ad Taciti Annalem l.*

43. VLCERA.] *Ipoſ adulteros, αλλογενεϊας.*

44. MEMBRIS.] *Filiâ ſuâ, & nepte, quas vtraſque relegauit & ſepoſuit, & velut à corpore ſuorecidit.*

A terat. Marcus Cicero inter Catilinas Clodiosque iactatus, Pompeiosque & Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum republica, & illam pessum euntē <sup>45</sup> tenet, nouissimè abductus, <sup>46</sup> nec secundis rebus quietus, nec aduersarum patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum, derectatur? quàm flebiles voces exprimit in quadam <sup>47</sup> ad Atticum epistolâ, iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispaniâ fracta arma refouente? *Quid agam*, inquit, *hic quæris? moror in Tusculano meo semiliber*. Alia deinceps adiicit, quibus & priorem atatem complorat, & de præsentī queritur, & de futurâ desperat. *Semiliberum* se dixit Cicero. at merchules numquam sapiens in tam humile nomen procedet, nūquam semiliber erit: integræ semper libertatis & solidæ, solutus, & sui iuris, altior ceteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est? VI. Liuius Drusus, vir acer & vehementis, cum <sup>48</sup> leges nouas <sup>49</sup> & mala Gracchana mouisset, stipatus ingenti totius Italiæ cætu, exitum rerum <sup>50</sup> non prouidens, quas nec agere licebat, nec iam liberum erat semel inchoatas relinquere, execratus inquietam à primordiis vitam, dicitur dixisse, *Vni sibi, nec puero quidem, vnumquam ferias contigisse*. Ausus est enim & pupillus adhuc & prætextatus, iudicibus reos commendare, & gratiam suam interponere tam efficaciter, vt quædam iudicia constet ab illo <sup>51</sup> rapta. Quò non irrumperet tam immatura ambitio? scires in malum ingens, & priuatum, & publicum, euasuram illam tam præcoquem audaciam. Serò itaque querebatur, nullas sibi ferias contigisse: à puero seditiosus, & foro grauis. Disputatur, an ipse sibi manus attulerit. subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est: aliquo dubitante, an mors voluntaria esset, <sup>52</sup> nullo, an tempestiua. Superuacuum est commemorare plures: qui cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt, <sup>53</sup> perosi omnem actum annorum suorum. Sed his querelis nec alios mutauerunt, nec seipos. Nam cum verba erumperent, affectus ad consuetudinem relabebantur. Vestra merchule vita, licet supra mille annos exeat, in ætissimum contrahetur. Ista vitia nullum non sæculum deuorabunt: hoc verò spatium, quod, quamuis natura currit, ratio dilatat, citò vos effugiat necesse est. Non enim apprehenditis, nec retinetis, nec velocissimæ omnium rei moram facitis, sed abire vt rem superuacuum ac reparabilem finitis. In primis autem & illos numero, qui nulli rei, nisi vino ac libidini vacant, nulli enim turpius occupati sunt: ceteri, etiam si vanâ gloriæ imagine teneantur, speciosè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniusta, vel bella: omnes isti virilius peccant. in Venerem ac libidinem proicctorum inhonesti <sup>54</sup> labes est. Omnia istorum tempora excute. adspice quamdiu computent, quamdiu insidientur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur, quantum vadimonia sua atque aliena occupent, quantum conuiuia, quæ iam ipsa <sup>55</sup> officia sunt: videbis, quemadmodum illos respirare non sinant vel mala sua, vel bona. Denique inter omnes conuenit, nullam rem benè exerceri posse ab homine occupato:

non

45. TENET.] *Anfidius Bassus, de Cicerone: Vt natus ad reip. salutem. quæ diu defensa & administrata, in senectute demum è manibus eius elabitur.*

46. NEC SECUNDIS.] *Verissimè. Asinius Pollio: Vtinam moderatius secundas res, & fortius aduersas ferre potuisset! namque vtræque cum venerant, immutari eas non posse rebatur.*

47. AD ATTICVM.] *Dubito. hodie nescio an legatur: hoc tantum simile notauit lib. XIII. Obsecro, abiciamus ista, & semiliberi saltem simus. quod assequemur & tacendo, & latendo. Sanè meus liber, ad Actium: ex quo promptum, ad Axiium. Nam & is inter familiares Tully, & ad eum edita epistola. Citat inter alios Suetonius Iul. cap. IX.*

CAP. VI. 48. LEGES NOVAS.] *De iudiciis inter Senatam & equitem communicandis: item De sociis ciuitate donandis.*

49. ET MALA.] *Legem Gracchi retulit, de coloniis deducendis, plebi conciliandæ. Appianus de istis 1. Ciuil. Florus. I. III. cap. XV II. Suetonius Tiber. cap. III.*

50. NON PROVIDENS.] *Sive mauis, peruidens.*

51. RAPTA.] *Sententias ab eo extortas.*

52. NULO AN.] *Ita scripti aliquot, rectè. Sententia est: potuit dubitare aliquis, an spontaneâ morte obisset, nemo quin opportunâ. Florus: Imparem Drusum, egrumq; rerum temerè motarum, matuta, vt in tali discrimine, mors abstulit.*

53. PEROSI.] *Scripti, perdentes, aut prodentes. Veritas, perodientes.*

54. LABES EST.] *Quidam, nec male, tabes.*

55. OFFICIA SVNT.] *Quasi ex officio danda, & adeunda.*

T

CAP.

non eloquentiam, non liberales disciplinas: quando districtus animus nihil altius recipit, sed omnia velut inculcata respuit. Nihil minus est hominis occupati, quam vivere: nullius rei difficilius est scientia. Professores aliarum artium vulgo multi que sunt, quaedam verò ex his <sup>56</sup> pueri admodum ita percepisse visi sunt, ut etiam præcipere possent: vivere totâ vitâ discendum est: & quòd magis fortasse miraberis, totâ vitâ <sup>57</sup> discendum est mori. Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cum diuitiis, officiis, voluptatibus renunciaissent, hoc vnum in extremam vsque ætatem egerunt, ut vivere scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vitâ abierunt, nedum ut isti sciant. Magni, mihi crede, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere: & ideo vitâ eius longissima est, cui quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit. Nihil inde incultum otiosumque iacuit: nihil sub alio fuit. neque enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret, custos eius parcissimus. Itaque satis illi fuit. his verò necesse est defuisse, ex quorum vita multum populus tulit. Nec est quòd putes, hinc illos non intelligere damnum suum. plerosque certè audies ex his quos magna felicitas grauat, inter clientium greges, aut caussarum actiones, aut ceteras honestas miserias exclamare interdum, *Mihi vivere non licet. Quidni non liceat?* <sup>58</sup> omnes illi qui te sibi aduocant, tibi abducunt. Ille reus quot dies abstulit? quot ille candidatus? quot illa anus, efferendis heredibus lassâ? quot ille ad irritandam auaritiâ captantium simulatus æger? quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitia, sed in apparatu habet? <sup>59</sup> Dispunge, inquam, ac recense vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum & <sup>60</sup> reicuculos apud te refediisse. Assecutus ille quos optauerat fasces, cupit ponere, & subinde dicit: *Quando hic annus præteribit?* Facit ille ludos, quorum <sup>61</sup> sortem sibi obtingere magno æstimauit: *Quando*, inquit, *istos effugiam?* <sup>62</sup> Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu omnia, vltra quam audiri potest, complet: *Quando*, inquit, *res* <sup>63</sup> *proferentur!* Præcipitat quisque vitam suam, & <sup>64</sup> futuri desiderio laborat, præsentium tædio. At ille, qui nullum non tempus in vsus suos confert, qui omnes dies <sup>65</sup> tamquam vitam ordinat, nec optat crastinum, nec timet. Quid enim est, quòd iam vlla hora <sup>66</sup> nouæ voluptatis possit afferre? Omnia nota, omnia ad satietatem percepta sunt: de cetero, fors fortuna ut volet ordinet: vita iam in tuto est. Huic adiici potest, detrahi nihil: & adiici sic, quemadmodum saturo iam & pleno aliquid cibi, quod nec desiderat, <sup>67</sup> nec

CAP. VII. 56. PVERI ADMODVM.] *Mirum, sed exempla affirmant. In lapide Romæ: L. Valerio L. F. Pudenti. Hic cum esset annorum XIII. Romæ, certamine sacro Iouis Capitolini, lustro VI. claritate ingenij coronatus est inter poetas Latinos, omnibus sententiis iudicium. Item Antipoli: D. M. pueri Septemtrionis, qui annorum XII. Antipoli in theatro biduo saltavit & placuit. Iterum Romæ: Eucharis Licinæ L. docta, erodita omnes artes virgo. Vixit annos XI V. Et adde porro lepidum, si vis, carmen & pro genio vetustatis. In scæntis hæc talia exempla hauries è Plinij VII. Hist. natur. cap. XLVIII. item aliquid Suetonij Domitiano, cap. X. ubi Paris quidam Pantemimus impubes. Hæc autem, ob præmia, huic generi crebra & certa.*

57. DISCENDVM EST MORI.] *Non Philosophia, usλέτην θεωροῦ, meditatio mortis. Apuleius: Philosophum nihil oportet sic agere, quam ut semper studeat animam consortio corporis separare, & ideo existimandum, philosophiam esse mortis affectum, consuetudinemque moriendi.*

58. OMNES ILLI.] *Vide similes sententiæ apud Plinium I. epist. IX.*

59. DISPUNGE.] *Papinianus: Dispungere, est confettere accepta & data. Seneca IV. De Benefic. cap. XXXI.*

60. REICUCULOS.] *Rectè, Varroniano etiam verbo: etsi scripti, ridiculos.*

61. SORTEM.] *Nam inter Prætores, fors aut ludos aut iurisdictionem dabat.*

62. DIRIPITVR.] *Huc illuc trahitur, rapiturque, à clientibus. De Ira III. cap. XXIII. & hocce libro infra, cap. VI. Dum rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit. Quidam tamen hic mavelint, Diripitur, à contentione vocis.*

63. PROFERENTVR.] *Quod feriis fiebat, cessante actu rerum. In carmine ad Pisonem:*

— siquando iudice fesso,  
Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.

64. FUTURI DESID.] *Epist. XV. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur.*

65. TAMQVAM VITAM.] *Id est, tamquam ille modo futurus sit. Epist. X V. Ecce hic vltimus dies ut non sit, propè ab vltimo est.*

66. NOVÆ VOLVPE.] *Lucretius:*

Præterea versamur ibidem atque infumus vsque,  
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

67. NEC

A<sup>67</sup> nec capit. Non est itaque quod quemquam, propter canos aut rugas, putes diu vixisse. non enim ille diu vixit, sed <sup>68</sup> diu fuit. Quid enim? si illum multum putes nauigauisse, quem saua tempestas à portu exceptū huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerso furentium per eadem spatia in orbem egit? non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est. Mirari soleo, cū video aliquos <sup>69</sup> tempus petere, & eos qui rogantur facillimos. Illud vterque spectat, propter quod tempus petatum est: ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil datur: re omnium pretiosissimā luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit: ideoque vilissima aestimatur, imò penè nullum pretium eius est. <sup>70</sup> Annua congiaria homines <sup>71</sup> clarissimi accipiunt, <sup>72</sup> & his aut laborem, aut operam, aut diligentiam suam locant: nemo aestimat tempus, vtuntur illo laxius, quasi gratuito. At eosdem <sup>73</sup> ægros vide, si mortis periculum ad mortem est propius, medicorum genua tangentes: si metuunt capitale supplicium, omnia sua, vt uiuant, paratos impendere. tanta in illis discordia affectuum est.

B Quod si posset, quemadmodum præteritorum <sup>74</sup> annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum: quomodo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile est, quamuis exiguum dispensare, quod certum est: id debet seruari diligentius, quod nescias quando deficiat. Nec est tamen, quod ignorare putes illos, quā cara res sit. <sup>75</sup> Dicere solent eis quos valdissimè diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Dant, nec intelligunt: dant autem ita, vt sine illorum incremento sibi detrahant: sed hoc ipsum an detrahant, nesciunt: ideo tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit quā cæpit ætas, nec cursum suum aut reuocabit aut supprimit: nihil tumultuabitur, nihil admo-nebit velocitatis suæ, tacita labetur. Non illa se regis imperio, non fauore populi longius profert. <sup>76</sup> sicut iussa est à primo die curret: nusquam diuertet, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est. <sup>77</sup> Potestne quisquam, dico, hominum eorum qui prudentiam iactant, & operosius occupati sunt, quā vt <sup>78</sup> melius possint viuere? <sup>79</sup> Impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant: maxima portò vitæ iactura, dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vltiora pro-

VIII.

IX.

67. NEC CAPIT.] *Negatio abest veteribus. in scribe: quod nec desiderans capit. Sicut stomacho pleno, amici gratiā aliquid accipio, non appeto. ita in eo, qui vitæ est satur.*

CAP. VIII. 68. DIV FUIT.] *Eā mente Similis, qui semper in officio, & à Præfecturā denique Prætorij dimissus, rure septem annos vixit, sepulchro insculpsit. Hic situs est Similis, qui tot annos fuit, sed septem vixit. Varro: Non illos optimè viuere, qui diutissimè, sed qui modestissimè.*

69. TEMPUS PETERE.] *Tacitus XIV. Annal. Seneca criminantium non ignarus, tempus sermoni orat, & accepto, ita incipit.*

70. ANNUA CONG.] *Ita moris: & Principes, sed & proceres à Senatu dabant. Suetonius Nerone, cap. x. Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiarī destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit.*

71. CLARISSIMI.] *Senatores, vt iam dixi. sed libri ferè, carissimi. An rarissimi? pro sententiā recte: an carissimè? id esset, in magno habent, carè aestimant.*

72. ET HIS.] *Mens, & in his. Lego: & ij his, qui accipiunt, ij locant datoribus laborem aut operam.*

73. ÆGROS VIDE.] *Epicetus: Siquis senex viuat, deos accusat quod tam diu fatigetur, cū mon iam diu debuerit. At si mors aduenit, vitam*

desiderat, medicum accersit, & orat submissè nihil omittere industria in medendo.

74. ANNORVM CVIVSQUE.] *Malim, cuique.*

75. DICERE SOLENT.] *In Plauto amator: Ego te? quam si intellegam deficere vitā, iam ipse Vitam meam tibi largiar, & de meā ad tuam addam.*

*Tibullus:*

*Viue diu mi dulcis anus. proprio ego tecum, Sit modò fas, annos contribuissè velim.*

*In Statio:*

*Pars animæ victura mea. cui linquere possim O vtinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos.*

*Populus, acclamatione ad Principem:*

*De nostris annis tibi Iupiter augeat annos.*

76. SICVT IVSSA.] *Scripti quidam, missa: metaphorā à Circensibus, vbi currus mittuntur: & statim decurret, pro die curret.*

CAP. IX. 77. POTESTNE.] *Hæc ita edidi è meo scripto, vulgò confusa. Sensus è priore pendet. Velis nolis, mortis vacandum est. potestne id quisquam istorum, qui sic occupati?*

78. MELIVS.] *Vellem abesse.*

79. IMPENDIO VITÆ.] *Id est, vere vitæ iacturā, vanam vitam ornant; ei vitilia & apta colligunt.*

mittit. Maximum viuendi impedimentum est, expectatio, quæ<sup>80</sup> pendet ex crastino. A Perdis hodiernum. quod in manu fortunæ positum est, disponis: quod in tuâ, dimittis. Quò spectas, quò te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent: <sup>81</sup> protinus viuere. Clamat ecce maximus vates, & velut diuino furore instinctus salutare carmen canit:

<sup>82</sup> Optima queque dies miseris mortalibus aui  
Prima fugit.

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est. velut ex torrente rapido, nec semper <sup>83</sup> casuro, citò hauriendum est. Hoc quoque pulcherrimè ad exprobandam infinitam cogitationem, quòd non optimam quamque ætatem, sed diem dicit. Quid securus, & in tantâ temporum fugâ lentus, menses tibi, & annos, & longam ferriem, vtrumque auiditati tuæ visum est, exporris? de die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo, quin prima quæque optima dies fugiat mortalibus <sup>B</sup> miseris, id est, occupatis: quorum <sup>84</sup> pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam imparati inermesque veniunt. Nihil enim prouisum est: subito in illam, nec opinantes inciderunt: accedere eam <sup>85</sup> cotidie non sentiebant. Quemadmodum quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, peruenisse se antè sciunt, quàm oppropinquasse: ita hoc iter vitæ assiduum & citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet, nisi in fine. Quod <sup>X.</sup> proposui, si in partes velim & argumenta diducere, multa mihi occurrent, per quæ probem breuissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere <sup>86</sup> Fabianus, non ex his <sup>87</sup> cathedrariis philosophis, sed ex veris & antiquis, contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incurfu auertendam aciem. <sup>88</sup> Sugillationem enim retundi debere, non vellicari. Tamen vt illis error exprobretur suus, docendi, non tantum deplorandi sunt. In tria tempora vita diuiditur: quod est, quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus, breue est: quod acturi sumus, dubium: quod egi- <sup>C</sup> mus, certum. Hoc est enim, in quod fortuna <sup>89</sup> ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Hoc amittunt occupati: nec enim illis vacat præterita respicere: & si vacet, iniucunda est penitentiæ rei recordatio. Inuiti namque ad tempora male exacta animum reuocant, nec audent ea retentare, quorum vitia etiam quæ aliquo præsentis voluptatis lenocinio subripiebantur, retractando patescunt. Nemo, nisi à quo omnia acta sunt sub <sup>90</sup> censurâ suâ, quæ numquam fallitur, libenter se in præteritum retorquet. Ille qui multa ambitiosè concupiit, superbè contempsit, <sup>91</sup> impotenter vicit, insidiosè decepit, auarè rapuit, prodigè effudit, necesse est memoriam suam timeat. Atqui hæc est

80. PENDET EX.] *Noster i. epist.* Ita fac mi Lucili, omnes horas complectere. sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur vita, transcurrit.

81. PROTINVS.] *Statim, iam nunc. Glosse:* Protinus, *ὄχι χρόνον, ἰωρῖν.*

82. OPTIMA.] *Adde epist. CVIII. vbi de his versibus paria.*

83. CASURO.] *Mens, laturo: alij, labituro, vel, auituro: è quo postremo fecerim hausturo: tibi nempè.*

84. PVERILES ADHVC.] *Epist. XXI. Nemo non ita exit è vitâ, tanquam modò intrauerit: & adde placentia.*

85. COTIDIE.] *Epist. i. Quem mihi dabis, qui diem aestimet: qui intellegat cotidie se mori? vide sequentia.*

CAP. X. 86. FABIANVS.] *De quo epist. XL. & c. & alibi.*

87. CATHEDRARIIS.] *Scholasticis. nam cathedra, professorum. Ausonius in Professoribus.*

Et te quem cathedram temerè vsurpasse loquuntur: *pluriesq; ibi. Sidonius lib. VII. Vxor illi de Palladorum stirpe, qui aut litterarum, aut al- <sup>D</sup> tarium cathedras tenuerunt: id est, aut Professorum, aut Episcopi fuere. Significat ergo Seneca, Fabianum re philosophatum, non linguâ tantum: vt solent isti à scholis.*

88. SVGILLATIONEM.] *Falsa, obscura. Libri vet. auertendam aciem non probam. Cauillationem enim. Lego: auertendam aciem. Non probam cauillationem esse, retundi debere, & c. verè, & clarè.*

89. IVS PERDIDIT.] *Plinius lib. II. cap. VII. Ne Deum quidem omnia posse, nullumque habere in præterita ius, præterquam obliuionis.*

90. CENSURA SVA.] *Rekte rationis.*

91. IMPOTENTER.] *Mens, impudenter euicit.*

A est pars temporis nostri <sup>92</sup> sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunæ subducta: quam non inopia, non metus, non morborum incurfus exagitat. Hæc nec turbari, <sup>93</sup> nec eripi potest: perpetua eius & intrepida possessio est. Singuli tantum dies, & hi per momenta præsentis sunt: at præteriti temporis omnes, cum iusseris, aderunt, ad arbitrium tuum se inspici ac detineri patientur: quod facere occupatis non vacat. Securæ & quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ partes discurrere: occupatorum animi velut <sup>94</sup> sub iugo sunt, flectere se ac respicere non possunt. Abiit igitur vita eorum in profundum, & ut nihil prodest, quantumlibet ingeras, si non subest quod excipiat, ac seruet: sic nihil refert, quantum temporis detur, si non est ubi subsidat. per <sup>95</sup> quassos foratosque animos transmittitur. Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam <sup>96</sup> nullum videatur: in cursu enim semper est. fluit & præcipitatur: antè definit esse, quàm venit: nec magis moram patitur, quàm <sup>97</sup> mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio, numquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos præsens pertinet tempus: quod tam breue est, ut arripi non possit, & id ipsum illis, districtis in multa, subducitur. Denique vis scire, quàm non diu XI. viuant? vide quàm cupiant diu viuere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. minores natu seipsum esse fingunt: mendacio sibi blandiuntur: & tam libenter fallunt, quàm si <sup>98</sup> fata vnà decipiant. Iam verò cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum patientes moriuntur, non tamquam exeat de vitâ, sed tamquam extrahantur? <sup>99</sup> stultos se fuisse, quòd non vixerint, clamitant, & si modò euaserint ex illâ valetudine, in otio victuros. Tunc quàm frustra parauerint, quibus non fruerentur, quàm incassum omnis labor ceciderit, cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitur, quid ni spatiosa sit? nihil ex illâ <sup>100</sup> delegatur, nihil aliò atque aliò spargitur, nihil inde <sup>101</sup> fortunæ traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil superuacuum est: tota (ut ita dicam) <sup>102</sup> in reditu est. Quantulacunque itaque abundè sufficit: & ideo quancumque vltimus dies venerit, non cunctabitur vir sapiens ire ad mortem certo gradu. Quæris fortè, quos occupatos vocem? non est quòd me solos putes dicere, quos <sup>103</sup> à basilicâ immissi demum <sup>104</sup> canes eiiciunt; quos aut in <sup>105</sup> suâ vides turbâ speciosius elidi, aut <sup>106</sup> in alienâ contemptiùs; quos officia

92. SACRA AC DEDIC. ] Memoria & Aeuo tradita, quæ iam finem habet absoluti operis: violari non potest.

93. NEC ERIPi. ] *Martialis*: Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum. *Noster de Benefic.* III. cap. IV. *De Vit. Beat. cap. VI.*

94. SVB IUGO. ] Quod è ligno colla boum coercet, nec respicere patitur.

95. QVASSOS. ] Sive potius, cassos.

96. NVLLVM VIDEATVR. ] *Plutarcho*, inter ceteros, sine libelli *De dictione Et* apud *Delphos*.

97. MVNDVS. ] *Calum*.

CAP. XL. 98. FATA VNA. ] *Martialis* in tales:

Non omnes fallis, scit te Proserpina canum.  
Perionam capiti detrahet illa tuo.

99. STVLTOS SE. ] Ideò apud *Euripidem* *Iphigenia* conqueritur, in *Supplicibus*:

Οἴμοι· τί δὴ βροτοῖσιν ἐκ ἐστὶν τόδε,  
Νέες δὲ εἶναι, καὶ γέροντας αὖ πάλιν,  
Ἄλλ' ἐκ δὲ οἴμοις μὲν ἢ τι μὴ καλῶς ἔχῃ,  
Ἐνὸ μαισὶν ὑπέροισιν ἔξορβήμεθα.  
Αἰῶνα δ' ἐκ ἐξέσιν· εἰ δ' ἠὲ δὲ νεοὶ  
Δις, καὶ γέροντες, εἰ τις ἐξαμάρτανται,  
Διατλάβει λαχόντες, ἔξορβήμεθ' αἶψα:  
Cur à Deo hoc hominibus haud conceditur,

Bis ut iuuentam, bis senectam ætatem agant?  
Namque ecce siquid in domibus haud rectè  
habet,

Sequente curâ postea emendes licet:  
At verò vitam non licet, quòd si senes,  
Iuuenesque bis fiamus, id quòd sequius  
Factum esset, emendare nobis tunc fiet.

100. DELEGATVR. ] *Alteri* traditur, aut assignatur. à re nummariâ, ubi nomina delegantur.

101. FORTVNÆ. ] Nam sapiens consilio, non casu, viuit.

102. IN REDITV. ] *A pecuniâ*, quæ occupatur, & in senore est. nihil hic otiose.

103. A BASILICA. ] In quibus iudicia exerceri solita.

104. CANES. ] Quos custodes & aditus, sub noctem soluebant, aut & immitterebant in morantes. Nam publica priuatæque loca etiam canes, adiuncti ianitoribus, tuebantur. *Suetonius Vitell. cap. XVI. Seneca De Ira, III. cap. XXXVII. Petronius in Satyrice*. Significat igitur, quosdam ita actuosos, & in causis deditos, ut vltimi egrederentur, & vix cum claudenda Basilicâ essent, canesque iam soluti immitterentur.

105. SVA TVRBA. ] Cum ipsi deducuntur.

106. IN ALIENA. ] Cum deducunt, ut clientes.

cia domibus suis euocant, vt alienis foribus illidant; quos <sup>107</sup> hasta <sup>108</sup> prætoris <sup>109</sup> infamia luero, & quandoque <sup>110</sup> suppuraturo, exercet. Quorundam otium occupatum est. in villâ, aut in lecto suo, in mediâ solitudine, quamuis ab omnibus recesserunt, sibi ipsi molesti sunt: quorundam non otiosa vita est dicenda, sed desidiiosa occupatio.

XII. Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretiosa, <sup>111</sup> anxiam subtilitate concinnat, & maiorem dierum partem in æruginosis lamellis consumit? qui in <sup>112</sup> ceromate (nam, pro facinus, ne Romanis quidem vitii laboramus) spectator puerorum rixantium sedet? qui <sup>113</sup> victorum suorum greges <sup>114</sup> in ætatum & colorum paria diducit? qui athletas <sup>115</sup> nouissimos pascit? Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum <sup>116</sup> decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis <sup>117</sup> in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc <sup>118</sup> in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paullo negligentior fuit? <sup>119</sup> tamquam virum tonderet. Quomodo excandescunt, si quid <sup>120</sup> ex iubâ suâ decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia <sup>121</sup> in anulos suos B reciderunt? Quis est istorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam suam? qui

107. HASTA.] Cui subiciebantur, quæ publicè vendebant. Etiam vestigalia sic locata. Ouidius IV. de Ponto,

Aut populi reditus positam componet ad hastam,

Et minui magnæ non sinet vrbis opes.

108. PRÆTORIS.] Alij Præconis. non probò.

109. INFAMI.] Nam inuidiam aut odium eæ venditiones ferè habent. addo, quod famam alienam ledunt. Tacitus, de Corbulone Prætorio, cura viarum Præfecto: Quod exitiosum multis, in quorum pecuniam atque famam damnationibus & hastâ facièbat.

110. SUPPURATURO.] Ab ulcere occulto, quod tempore in pus & sanie vertit. Talia hæc lucra, inquit, quia interdum mutatio rerum, & rescinduntur quæ sic gesta. puta si in tyrannide, aut si iniquè. Alij legunt, supputatio, frigidè.

CAP. XII. III. ANXIA SVBTLIT.] Ad diiudicandum, germanane essent, an adulterina. Plinius eaispâ voce, lib. XXXIV. cap. II. At mihi maior pars elegantiorum simulare eam scientiam videtur (dignoscendi Corinthia) ad segregandos se à ceteris, magis quam intelligere aliquid subtilius.

112. CEROMATE.] Loco gymnasij, vbi se vnguento eo linebant. Plinius: Palæstras athletarum imaginibus, & ceromata sua exornant. Hieronymus: Bouem mittere ad ceroma. Porro de Pueris, quod adiungit: capio ephebos, more Græciæ, certantes luctantesq;. Talem Glauciam Melioris describit Statius, II. Silu.

113. VICTORVM.] In ergastulis, sed mirabor, si ea diligentia & discretio ætatum colorumq;, ibi obseruata. Nisi quis velit pro locis, quò mittendi, item pro opere cui admonendi, sic disparatos à domino fuisse. quia alij alibi aptiores, saniores, diuturniores. Puto tamen magis, victorum, hic scribendum: & libri sanè, victorum ferè habent. Itaque litterula mutetur. Victus, est præuagator; iocose & contemptim pro Exoleto. Sanè ita est. diuites isti occupati, vt exoletos suos disponerent, & per ætates coloresq;, ordinarent.

114. IN ÆTATVM.] Ita meus liber palam. De re, Tacitus x v. Annal. Decora seruitia, & pari ætate habebat. Ammianus x i v. Postrema multitudo spadonum, à senibus in pueros desinens. Vides per ætatum gradus distingui. quod idem docet Lucan. x.

Tunc famulæ numerus turbæ, popululq; minister.

Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas: Hæc Li bycos, pars iam flauos gerit altera crines.

Ipsè Seneca epist. x c v. Agmina exoletorum, per colores nationesq; distincta.

115. NOVISSIMOS.] An notissimos? an nouitios? Sed hæc mihi suspecta. si vulgatum tenes, poscit legam: id est, postremos istos aduocat, & se oblectat. Pisci tamen & saginari athletæ solent, scio: sed sententiola tota caliginosa est, nec in iusto apta.

116. DECERPITVR.] Volsellis.

117. IN CONSILIVM.] Iocose, iudiciali verbo. Iuuenalis, de faminâ capillos disponente: Est in consilio materna, admotaque lanis, Emeritâ quæ cessat acu. sententia prima Huius erit, post hanc ætate atq; arte minores Censebunt.

118. IN FRONTEM.] Nempe si desicit, vt ait, & caluaster esse incipit. Aliis placet, forma causâ factum. vt in Horatio:

Insignem tenui fronte Lycorida:  
& femina sic volebant, nescio an viri.

119. TAMQVAM VIRVM.] Quos cultus neglectus decet. Notat & obiter mollitiem. In totâ re similia vide apud Musonium, in Stobæi Serm. vi.

120. EX IVBA.] Anulis pendulis, cincinnisque, instar iube. Seneca epist. vlt. Quid capillum ingenti diligentia comis? in quolibet equo densior iactabitur iuba.

121. IN ANVLOS.] Martialis:  
Vnus de toto peccauerat orbe comarum  
Anulus, incertâ non benè fixus acu.

— pectitque comas, & voluit in orbem.  
Femina.

A qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comptior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos? Quid illi, qui in componendis, audiendis, discendis canticis operati sunt: dum vocem cuius rectum cursum natura & optimum & simplicissimum fecit, inflexu modulationis inertissimæ torquent? Quorum digiti aliquod inter se carmen metientes semper <sup>122</sup> sonant: quorum cum ad res serias, sæpe & tristes, adhibiti sunt, exauditur tacita modulatio? non habent isti otium, sed iners negotium. Conuiuia mehercule horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam quam solliciti <sup>123</sup> argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas <sup>124</sup> succingant, quam suspensi sint, quomodo <sup>125</sup> aper a coco exeat: quantâ celeritate, <sup>126</sup> signo dato, <sup>127</sup> glabri ad ministeria discurrant: <sup>128</sup> quantâ arte scindantur aues in frustra non enormia: quam curiosè infelices pueruli ebriorum <sup>129</sup> sputa detergeant. Ex his elegantia laetitiaeque fama captatur, & vsque eò in omnes vitæ <sup>130</sup> successus mala sua illos sequuntur, vt nec bibant sine ambitione, nec edant. Nec illos quidem inter otiosos numeraueris, qui sellâ se & lecticâ huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deferere illas non liceat, horas occurrunt: quos, quando lauari debeant, quando <sup>131</sup> natate, quando cenare, alius admonet: & vsque eò nimio delicati animi languore soluantur, vt per se scire non possint, an esuriant. Audio quendam ex delicatis ( si modò deliciae vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dediscere) cum ex balneo inter manus elatus, & in sellâ positus esset, dixisse interrogando, <sup>132</sup> Jam sedeo? Hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an viuat, an videat, an otiosus sit? Non facillè dixerim, vtrum magis miserear, si hoc ignorauit, an si se ignorare finxit. Multarum quidem rerum obliuionem sentiunt, sed multarum & imitantur: quædam vitia illos, quasi felicitatis argumenta, delectant. Nimis humilis & contempti hominis esse videtur, scire quid faciat. I nunc, & mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta. Plura mehercule prætereunt quam fingunt: & tanta incredibilium vitiorum copia, ingenioso in hoc vnum sæculo, processit, vt iam mimorum <sup>133</sup> arguere possimus negligentiam. <sup>134</sup> Esse aliquem, qui vsque eo deliciis interierit, vt an sedeat, alteri credat?

Non

Feminarum erat, sed & molles isti vsurpabant. Arriani deus 11. Omrocr. cap. vi. ἀλλήλοισι δὲ γυναιξὶ μύθους συμπίπτει καὶ ἀνδρῶν τοῖς ἑῶς ἔχουσι: Capillos videri in somnio flecti in orbem, solis feminis conducit, & virorum iis qui affluerunt. Fabius lib. 1. Velli & comam in gradus frangere, quamlibet hæc inuasert civitatem, non erit consuetudo. Idem xii. Ne intoshium caput, non in gradus atque anulos comprim. De hac plicatura, adi Martianum Capellam lib. xv. initio.

122. SONANT.] At digiti in eâ mensione vix sonant: igitur fortasse, sunt.

123. ARGENTVM.] Mensa ministerium, in abaco siue Delticâ disponant.

D 124. SUCCINGANT.] Horatius: Præcincti vt recte pueri comptiq; ministrent.

Homerus, de Eumæo:

Ἐσθίοντες, ἄριστον δὲ δούκας συνέβριε χιτῶνα.

125. APER A COCO.] An in tempore assus, & in aquâ suâ ac vigore. Alij libri, à coco cæsus exeat: quod interpretatus sum Poliorceticôn lib. iiii. Dialog. 1. Edicunt tamen magis nunc proba, & teneo, quia meliores sic libri.

126. SIGNO DATO.] A structore, vel Domino. Naïter in Epist. xcv. Transeo ministratorum turbam, per quos, signo dato, ad auferendam cænam discuntur. Trimalcio ille Petronianus symphoniâ signum hoc dari curabat.

127. GLABRI.] Paulloantè Exoleti: & vides Victos istos, vt supra dixi in ministeris ferè fuisse.

128. QVANTA ARTE.] Epist. XLVII. Alius pretiosas aues scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frustra excutit. De vitâ beat. cap. xvii. Et est aliquis scindendi obsonij magister.

129. SPVTA DETERG.] Vide epist. XLVII.

130. SVCCSSVS.] An successus? non in publico solùm ambitiosi & in pompam compositi sunt, sed domi & interiore vitâ.

131. NATARE.] Meus pernoctare: alij, noctate. ex quo Pincianus, vectare. At iam præiuit de Gestatione: nescio igitur an, vinctare, pro ungere. Vulgatam explices, natate in piscinâ.

132. IAM SEDEO?] Simile, quod in Stobæi Serm. XXIX. legitur, etsi ab aliâ causâ. Νικίας δὲ ἔτος ἦν φιλόπρονος, ὥστε πολλὰς ἐρωτᾶν τὰς οἰκίας, εἰ λάλασε, καὶ εἰ ἤρηνεν; Nicias autem ita in labore deditus, vt sæpe seruos interrogaret an lauisset? an pranfus esset?

133. ARGVERE.] Meus voce auget, arguere minime possimus: an, mimicè?

134. ESSE ALIQVEM.] Rectè, & indignanter. meus tamen, putas esse. ex quo vellem, Pudor: esse aliquem.

XIII. Non est ergo otiosus hic: aliud nomen imponas, æger est, imò mortuus est. Ille otiosus est, cui otij sui sensus est: hic verò semiuiuus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est. quomodo potest hic alicuius temporis dominus esse? Persequi singulos longum est: quorum aut<sup>135</sup> latrunculi, aut pila, aut<sup>136</sup> excoquendi in sole corporis cura, consumpserunt vitam. Non sunt otiosi, quorum voluptates multum negotium habent. Nam de illis nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in litterarum<sup>137</sup> inutilium studiis detinentur: quæ iam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum<sup>138</sup> remigum Vlixes habuisset: <sup>139</sup> prior scripta esset Ilias, an Odyssea: præterea an<sup>140</sup> eiusdem esset auctoris. Alia deinceps huius notæ: quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant; siue proferas, <sup>141</sup> non doctior videberis, sed molestior. Ecce <sup>142</sup> Romanos quoque inuasit inane studium<sup>143</sup> superuacua discendi. His diebus audiui quemdam sapientem referentem, quæ primus quisque ex Romanis ducibus fecisset. <sup>144</sup> Primus nauali prælio Duillius vicit, primus Curius dentatus in triumpho duxit <sup>145</sup> elephantos. Etiamnum ista, & si ad veram gloriam non tendunt, circa ciuiliam tamen operum exempla versantur. Non est profutura talis scientia: est tamen quæ nos speciosâ rerum vanitate detineat. Hoc quoque querentibus remittamus, quis Romanis primus persuasit nauem conscendere? Claudius is fuit: <sup>146</sup> Caudex ob hoc ipsum appellatus, <sup>147</sup> quia plurimum tabularum contextus, caudex apud antiquos vocabatur: vnde publicæ tabulæ, codices dicuntur: & naues <sup>148</sup> nunc quo-

CAP. XIII. 135. LATRVNCVLII.] *Vide De Tranquill. cap. XIV. Epist. CXVII.*

136. EXCOQUENDI.] *De Tranquill. cap. III. Quidam sole, & exercitatione corporis diem ducunt. Insolabant se, & ungebant, & per plurimum sepe diem. Persij Scholiastes, ad illud - assiduo curata cuticula sole. Curata scilicet à chromatariis. nam chromatarij dicuntur colorarij, qui toto die in arenâ vel in sole.*

137. INUTILIUM.] *Vinam ne hodie! sed illud oraculum sedeat:*

Ὀχρησιμὲ εἰδὼς, ἔχῃ πολλὰ εἰδὼς, σοφός:  
Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.

138. REMIGVM.] *Non enim expressit Homerus. sed per argumenta captabant: ut quòd Alcinoüs eisdem Vlysi nauem dedit, & in eâ LII. viros: & quæ talia notabant.*

139. PRIOR SCRIPTA.] *Eustathius: Εξήρασαν ἄλλοι ἄρδῃ ἀκρίβειαν, ἐὰν ἡ Ἰλιάς ἢ Ὀδυσσεύς ποιεῖται, ἢ καὶ ἀνάπαλιον: Quæ si fuerunt curiosè alij, an prior Vlysiæ Ilias scripta esset, an contra. Causa dubitandi, quia multa in Iliade, quæ intellegi sine Vlysiæ non possunt; & quasi ibi dicta omittit. Nuga. mente deformauerat totum opus vir diuinus: ideo alia alibi dicit, aut differt.*

140. EIVSDEM AVCT.] *Quis ille qui dubitat? non legi, & fatuus qui fecit. Hoc tantum, plagij accusatum eum à quibusdam, quasi mulier quædam Phantasia nomine, scripsisset hos libros, & in templo Vulcani deposuisset, opido Memphi. Homerum venientem in Aegyptum repperisse, abtulisse, vindicasse. O vanissimam φαντασίαν!*

141. NON DOCTIOR.] *Scitè hoc Aristippus: Sicut non qui plurimum comedunt aut exercentur, melius valent his qui necessaria adsumunt: sic non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, habendi sunt eruditi.*

142. ROMANOS.] *Tiberio, vel inter primos, auctore. Suetonius cap. LXX. Maxime curauit noti-*

tiam historiarum fabularis, vsque ad ineptias & derisum. Nam & Grammaticos eiusmodi ferè quaestionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solite?

143. SUPERVACVA.] *Et quæ scire tantum, eò vt scias, pertinet: vt ait nosler alibi.*

144. PRIMVS DVILLIVS.] *In lapide, ab illo suo: Rem nauebous marid consol primus gessit. Tamen ante eum C. Manius classe, vel classicula, Antiatres vicit: & inde Rostra illa in foro. Florus I. cap. XI.*

145. ELEPHANTOS.] *Plinium vide VIII. cap. VI. Florus I. cap. XVIII.*

146. CADEX.] *Suetonius Tib. cap. II. Polybius I. qui nauibus Locrensium, Tarentinorum, Neapolitanorum usum scribit, ad tractatum. Auctor de viris illustribus: App. Claudius Caudex Cæci frater fuit. primò, ad explorandos hostes, fructum piscatoriâ naue traiecit. Et ab eâ naui ego dictum malim, quàm quòd iusserit conscendere naues, vt nosler. Nam minores illas, sic appellant. Ausonius:*

Nauita caudiceo fluitans super æquora lembo.  
Nonius: Codicarias naues etiam nunc consuetudo appellat, eò quòd (lego eas, quæ) in fluminibus sint vsui. Sallustius IV. Hist. Contendit ad flumen Eufratem. & quanquam ad id naues codicariæ, occultè per hiemem fabricate, aderant. Adde in eâ voce Festum. Caudicarij, sunt ipsi nauite qui Tiberi annonam subuehunt. Cod. Theodos. I. De canone frumentario vrbis Romæ. l. IX. De Suariis. Inscriptio vetus, in Smetio fol. LXX. MENSORES PORTIVENSES, QVIBVS VETVS FVIT CVM CAVDICARIIS DIVTVRNYM QVE CERTAMEN.

147. QVIA PLVRIVM.] *Ex Varrone, apud Nonium: Quòd antiqui plures tabulas coniunctas, Codices dicebant: à quo in Tiberi naues Codicarias appellamus.*

148. NVNC QVOQVE QVÆ.] *Malim trans-*

poni

A quoque, quæ ex antiquâ consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, caudicariæ vocantur. Sanè & hoc ad rem pertineat, quòd Valerius <sup>149</sup> Coruinus primus Messanam vicit, & <sup>150</sup> primus ex familiâ Valeriorum, vrbs captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paullatimque vulgò permutante litteras, Messalla dictus est. Num & hoc quemquam curare permittas, quòd primus L. Sulla in circo <sup>151</sup> leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis à rege Boccho iaculatoribus? & hoc sanè remittatur. Num & Pompeium primum in circo elephantorum <sup>152</sup> duodeuiginti pugnam edidisse, commissis more prælij <sup>153</sup> noxiis hominibus, ad vllam rem bonam pertinet? Princeps ciuitatis, & inter antiquos principes, vt fama tradidit, bonitatis eximie, memorabile putauit spectaculi genus, nouo more perdere homines. Depugnant? parum est. Lancinantur? parum est: ingenti mole animalium obterantur. Satius erat ista in obliuionem ire, ne quis postea potens disceret, inuideretque rei minimè humane.

O quantum caliginis mentibus humanis obiicit magna felicitas! Ille se supra rerum **XIV.**

**B** naturam esse tunc credidit, cum tot miserorum hominum cateruas <sup>154</sup> sub alio cælo natis beluis obiiceret; cum bellum inter tam disparia animalia committeret; cum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coacturus. At idè postea Alexandrinâ perfidiâ deceptus, vltimo mancipio transfodiendum se præbuit, tum demum intellectâ inani iactatione cognominis sui. Sed vt illò reuertar, vnde decessi, & in aliâ materiâ ostendam superuacua quorundam diligentiam: idem narrabat, Metellum victis in Sicilia Pœnis, triumphantem, vnum omnium Romanorum ante curtum <sup>155</sup> centum & viginti captiuos elephantos duxisse: <sup>156</sup> Sullam, vltimum Romanorum protulisse pomœrium, quod nunquam prouinciali, sed <sup>157</sup> Italico agro acquisito mos profere apud antiquos fuit. Hoc scire magis prodest, quàm <sup>158</sup> Auentinum montem extra pomœrium <sup>159</sup> esse, vt ille affirmabat, propter alteram ex duabus causis: aut quòd plebs eò secessisset, aut quòd Remo auspicante illo loco aucs non addixissent. Alia deinceps innumerabilia, quæ aut ficta sunt, aut mendacij similia. Nam vt concedas omnia eos fide bonâ dicere, vt <sup>160</sup> ad præstationem scribant: tamen cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem iustio-  
raliorem

*pom leuiter: nunc quoque ex antiquâ consuetudine, quæ per Tib.*

149. CORVINVS. ] *Errat. habuit cognomen Maximi. Fasti Capitolini: M. Valerius, M. F. M. N. Maximus, qui in hoc honore Messalla appellatus est. Id factum anno V. CDXC. Macrobius i. Satur. Valerius Maximus, postquam Messanam vrbe nobilissimam Sicilia cepit, Messalla cognominatus est.*

150. PRIMVS EX. ] *Bene additum, ex câ familiâ: nam ex aliis, ante eum adepti hunc honorem. vt Marcus Coriolanus, Sergius Fidenas.*

**D** 151. LEONES SOLVTOS. ] *Rem satis notabilem, miror non notatam aliis esse. At Liuij in hac parte scripta desiderantur: Plinius silet, qui hoc dumtaxat, L. Sullam centum iubatorum leonum pugnam, primum omnium, in Præturâ dedisse. Cautè lege, nec ad numerum solum, sed ad tales, id est iubatos adstringe: alioqui assertio lababit. Sed nihil ipse aut alij de solutis: id est, qui catenis aut vinculis non alligarentur, & pleno impetu ac robore vti possent. Obserua, siquis res Venationis Romana.*

152. DVODEVICINTI. ] *Plinius: Pompeij quoque altero Consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnaere in Circo xx. aut vt quidam tradunt x i x. elephanti Gatulis ex aduerso iaculantibus.*

153. NOXIIS. ] *Ita vulgò fiebat, & Seneca non*

*nimis intentus scripsit. At Plinius iam dixit, Gatulos cum iis commissos: quos noxæ damnatos non opinor.*

CAP. XIV. 154. SVB ALIO. ] *Ergo non de Gætulis cum Plinio & re gestâ, censet: sed, vt dixi, populariter scripsit.*

155. CENTVM ET XX. ] *Ita & Liuij epitoma XIX. At Orosius, Eutropius, Florus, variant in numero, tamen accedunt. Plinius vniuersè effert: L. Metellus, qui plurimos (ita lege) elephantos primo bello Punico duxit in triumpho. Sidonius, Panegyrico ad Anthemium, elephanta frequentem pariter dixit, sed non adnumerauit.*

156. SVLLAM VLTIMVM. ] *Assertio falsa, nisi Romanos intellegit in libertate: quomodo Cassius & Brutus, vltimi Romanorum, aliis dicti. Nam certe post eum Iulius & Augustus Cæsares: quæ de re ad Annalem XII. Taciti scripsi. Ipsam ibi Tacitum vide, & Vopiscum in Aureliano.*

157. ITALICO AGRO. ] *Miror. & quæ ratio est?*

158. AVENTINVM. ] *De totâ re, adi Agellium libro XIII. cap. XIV.*

159. ESSE. ] *Ego hoc interrogatione acuiam.*

160. AD PRÆSTATIONEM. ] *Id est, vt ipsi scripti dictique periculum suscipiant: & nisi ita sit, luant.*

161. No-

raliorem facient? Dubitare se interim Fabianus noster aiebat, an satius esset nullis studiis A  
 admoueri, quàm his implicari. Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiæ vacant: soli vi-  
 uunt. nec enim suam tantùm ætatem benè tuentur: omne æuum suo adiciunt. Quid-  
 quid annorum ante illos actum est, illis acquisitum est. Nisi ingratis sumus, illi cla-  
 rissimi sacrarum opinionum conditores, nobis nati sunt, <sup>161</sup> nobis vitam preparauerunt.  
 Ad res pulcherrimas, ex tenebris ad lucem erutas, alieno labore deducimur: <sup>162</sup> nullo no-  
 bis sæculo interdictum est: in omnia admittimur: & si magnitudine animi egredi hu-  
 manæ imbecillitatis angustias libet, multum per quod spatium temporis est. <sup>163</sup> Dis-  
 putare cum Socrate licet, <sup>164</sup> dubitare cum Carneade, cum Epicuro <sup>165</sup> quiescere, homi-  
 nis <sup>166</sup> naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis <sup>167</sup> excedere, cum rerum naturâ <sup>168</sup> in  
 consortium omnis aui <sup>169</sup> pariter incedere. Quidni ab hoc exiguo & caduco temporis  
 transitu, in illa nos toto demus animo, quæ immanis, quæ æterna sunt, quæ cum melio-  
 ribus communia? Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum benè in-  
 fanierint, cum omnium limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores præ- B  
 terierint, cum per diuersas domos <sup>170</sup> meritoriam salutationem circumtulerint: quo-  
 tumquemque ex tam <sup>171</sup> immensâ, & variis cupiditatibus districtâ, vrbe poterunt vide-  
 re? quàm multi erunt, quorû illos aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoueat?  
 quàm multi, qui illos, cum diu torserint, simulatâ festinatione transcurrant? quàm multi  
 per refertû clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuro ædiû aditus profugient?  
 quasi non inhumanius sit decipere, quàm excludere. quàm multi hesternâ crapulâ semi-  
 somnes & graues, illis miseris <sup>172</sup> somnû suum rumpentibus, vt alienum <sup>173</sup> expectet, vix  
 alleuatis labiis <sup>174</sup> infufurratum millies nomen, oscitatione superbissimâ reddent? Hos  
 in <sup>175</sup> veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie, & De-  
 mocratum, ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem & Theophrastum  
 volent habere quam familiarissimos. nemo horum non vacabit, nemo non venientem  
 ad se beatiorem, amantioremque sui dimittet, nemo quemquam vacuis à se manibus ab-  
 ire patietur. Nocte conueniri, & interdium, ab omnibus mortalibus possunt. Horum te C  
<sup>176</sup> mori nemo coget, omnes docebunt: horum nemo annos tuos conteret, suos tibi  
 contribuet: nullius ex his sermo periculosus erit, nullius <sup>177</sup> amicitia capitalis, nullius  
 xv. <sup>178</sup> sumptuosa obseruatio. Feres ex his, quidquid voles: per illos non stabit, quo  
 minus

161. NOBIS VITAM.] *Velim, viam.*

162. NULO NOBIS SÆC.] *Omnia tempora, omnis orbis, nobis patet & reclusus est. O rem pulchram, o magnam, si quis considerat!*

163. DISPUTARE.] *Nam hoc eius proprium, & semper ille διαδοχικός & inquisitor.*

164. DUBITARE.] *Quod Academia proprium, que variè deinde secta.*

165. QUIESCERE.] *Qui finis Epicuro, vacare perturbationibus, & in tranquillo esse.*

166. NATURAM.] *Hanc corruptam & effrenam. Alioqui finis, iuxta Stoicos, vivere secundum naturam.*

167. EXCEDERE.] *Ita videbantur, sed rectâ interpretatione, vt Diogenes aiebat, μιμησθαι τὰς χοροδιδασκάλους. ἡγὶ δὲ ἐμεινους ὑπερ τὸν τόνον ἐν δ' ἰδὸναι, ἕκαστα τοὺς λοιποὺς ἀναδρατὴς ἀποσπῆρατοσ τὸν νοῦν: imitari magistros chori. nam & illos aliquid super tonum excedere, vt alij ad iustum & consonum eum accedant: Laertius.*

168. IN CONSORTIVM.] *Id est, cum Naturâ illâ æternâ, & rerum parente, omnia præterita, & præsentia videre, ac nosse. Natura autem illa Deus.*

169. PARITER.] *Meus, patiatur.*

170. MERITORIAM.] *Quæ aliquid meretur, aut expectat. Non enim gratuita est. Ita meritoria vehicula, equi, cubicula.*

171. IMMENSA.] *Spectat ad magnitudinem Romæ, satis à me alibi asseriam.*

172. SOMNUM SVVM.] *Iuuenalis: - habet Trebius, propter quod rûpere somnum Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus ne Tota salutatix iam turba peregerit orbem.* D

173. EXSPECTENT.] *Donec Bichyno libeat vigilare tyranno.*

174. INSVRRATVM.] *A nomenclatoribus, qui ideo Factores dicti (ait Festus) quod clam velut infarcirent nomina saluatorum in aurem.*

175. VERIS OFFICIIS.] *Verè officiosos esse, & vtiliter alios colere.*

176. MORI NEMO.] *Tibi o Seneca factum. Colere Neronem tuum, forma, doce: quo præmio mortis.*

177. AMICITIA CAPITALIS.] *Vt in Seiano, ac talibus: quos coluisse, fraudi fuit.*

178. SVMPTVOSA.] *Nam munera & ipsi dabant, suis illis patronis sine, vt appellabant, regibus (in Na-*

A minus quantum plurimum ceperis, haurias. Quæ illum felicitas, quàm pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit? habebit cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se quotidie consulat, à quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. Solemus dicere, non fuisse<sup>179</sup> in nostrâ potestate, quos fortiremur parentes: <sup>180</sup> forte nobis datos. nobis verò ad nostrum arbitrium <sup>181</sup> nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum <sup>182</sup> familiæ sunt. elige in quam adscisci velis: non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona. quæ non erunt sordidè nec malignè custodienda: maiora fient, quò illa pluribus diuiseris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter, & te in illum locum, ex quo nemo eiiciet, subleuabunt: hæc vna ratio est extendendæ mortalitatis, imò in immortalitatem vertendæ. Honores, monumenta, quidquid aut <sup>183</sup> decretis ambitio <sup>184</sup> iussit, aut operibus exstruxit, cito subruitur: nihil non longa demolitur vetustas, <sup>185</sup> & mouet ocus, quod consecrauit. Sapientiæ noceri non potest. nulla delebit ætas præsens, nulla diminuet sequens, ac dein-  
 B de semper vltior aliquid ad venerationem conferet. quoniam quidem <sup>186</sup> in vicino versatur inuidia: simplicius longè posita miramur. Sapientis ergo multum patet vita: non idem illum qui ceteros terminus includit. solus generis humani legibus soluitur: omnia illi sæcula, vt Deo seruiunt. Transiuit tempus aliquod? hoc recordatione comprehendit. instat? hoc vitur. venturum est? hoc præcipit. Longam illi vitam facit, omnium temporum in vnum collatio. Illorum breuissima ac sollicitissima ætas est, qui præteritorum obliuiscuntur, præsentia negligunt, de futuro timent: cum ad extrema venerint, serò intelligunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. Nec est quòd hoc **XVI.** argumento probari putes, longam illos agere vitam, quia interdum <sup>187</sup> mortem inuocant. Vexat illos imprudentia incertis affectibus, & incurrentibus in ipsa quæ metuunt. mortem sæpe idè optant, <sup>188</sup> quia timent. Illud quoque argumentum non est, quod putes diu viuentium, quòd sæpe illis longus videtur dies: quòd dum veniat condictum tempus cœnæ, tardè ire horas queruntur. nam si quando illos deserunt occupationes, in  
 C otio relictis æstuant, nec quomodo id disponant, aut extrahant, sciunt. Iaque ad occupationem aliquam tendunt, & quod interiaceret, omne tempus graue est: tam mehercules, quàm cum dies muneris gladiatorij edictus est, aut cum alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis expectatur <sup>189</sup> constitutum, transilire medios dies volunt. Omnis illis sperata rei longa dilatio est. At illud tempus, quod amant, breue est, & præceps, breuiusque multo sit suo vitio: aliunde enim aliò transfugiunt, & consistere in vnâ cupiditate non possunt. non sunt illis longi dies, sed inuisi. At contrà, quàm exiguæ noctes videntur, quas in complexu scortorum, aut vino exigunt? Inde etiam poetarum furor, fabulis huma-

(in Natali, in Opere nono, in Nuptiis, aliisq. occasio-  
 ne.) & item seruis eorum admissionalibus, aut qui ad  
 limen. Inuenalis:

— quid das, vt Cossum aliquando salutes?  
 Idem: — præstare tributa clientes

D Cogimur, & cultis augere peculia seruis.  
 CAP. XV. 179. IN NOSTRA POTEST. ] *Arrianus 1. Dissertat. cap. xii.* Me miserum! patrem habeo talem, & matrem. Quid ergo: tibi nascituro potestatisne data eligendi, & dicendi: Ille cum istâ, istac horâ congregiatur, vt ego nascar? non est data.

180. SORTE NOBIS. ] *Ita est, sed tamen offendit repetitio, & præcessit, quos fortiremur: ac possint res ee vocula abesse.*

181. NASCI. ] *Animis sortiri parentes, quos libet.*

182. FAMILIÆ. ] *Cicero 111. De Orat.* A Socrate profeminatæ sunt quasi familiæ, dissentientes inter se & multum disiunctæ. *Idem 11. De Dignitat.* Peripateticorum familia: id est, secta, & doctrina.

183. DECRETIS. ] *De aliquo honorando.*

184. IVSSIT. ] *Aliena ambitio iussit, & nobis ablandiens. seruis, hoc & hoc fieri.*

185. ET MOUET OCIVS. ] *Ex librorum vestigiis, hic vacillantium, legas: At manet otium, quod consecrauit sapientia: ei nocere non potest. Siue etiam: & mouet. At iis quos consecrauit sapientia, noceri non potest.*

186. IN VICINO. ] *Velleius Paterculus: Præsentia inuidia, præterita veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus.*

CAP. XVI. 187. MORTEM INVOCAANT. ] *Democritus: Ανοήμονες τὸ ζῆν συζήοντες, ζῆν ἰβέλωνται δέματι αἰδέτιο: Stulti, vitam odientes, viuere cupiunt mortis metu.*

188. QVIA TIMENT. ] *Idem sapiens: Αἰσχροποιοὶ τὸν θάνατον φεύγοντες, δεικνύουσιν: Homines mortem fugientes, appetunt.*

189. CONSTITVTVM. ] *Dies tempusve statutum, & dictum. Varro de R. R. 11. Cum alius conuicia- tus esset, qui tam serò venisset ad constitutum.*

humanos errores alentium, quibus visus est Iupiter, voluptate concubitus delentus, A  
 190 duplicasse noctem. Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere  
 deos, & 191 dare morbo, exemplo 192 diuinitatis, excusatam licentiam? Possunt istis non  
 breuissimæ videri noctes, quas tam carè mercantur? diem noctis expectatione perdunt,  
 noctem 193 lucis metu. Ipse voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ sunt,  
 subitque cum maximè exultantes sollicita cogitatio: *Hæc quam diu?* Ab hoc affectu reges  
 suam fleuere potentiam: nec illos magnitudo fortunæ suæ delectauit, sed venturus ali-  
 quando finis exterruit. Cùm per magna camporum spatia porrigeret exercitum, nec nu-  
 merum eius, sed 194 mensuram comprehenderet Perfarum rex insolentissimus, lacrimas  
 fudit, quòd intra centum annos nemo ex tantâ iuuentute superfuturus esset. At illis erat  
 admoturus fatum ille ipse, qui flebat, perditurusque alios in terrâ, alios in mari, alios in  
 prælio, alios in fugâ: & intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum  
 annum timebat. Quid, quòd gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim foli-  
 dis causis innituntur, sed eadem quâ oriuntur, vanitate turbantur. Qualia autem putes B  
 tempora esse, etiam ipsorum confessione misera: cùm hæc quoque, quibus se attollunt,  
 & supra hominem efferunt, parùm sincera sint? 195 Maxima quæque bona sollicita sunt:  
 nec vlli fortunæ minùs bene, quàm optimæ, creditur. Aliâ felicitate ad tuendam felici-  
 tatem opus est: & pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim, quod  
 fortuito euenit, instabile est: quòd altiùs surtegit, vergit proniùs in occasum. neminem  
 porrò casura delectant. Miserrimam ergo necesse est, non tantùm breuissimam, vitam  
 eorum esse, qui magno parant labore, quod maiore possideant: operosè assequuntur quæ  
 volunt, anxij tenent quæ assecuti sunt. Nulla interim numquam ampliùs redituri tem-  
 poris est ratio. Nouæ occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambi-  
 tionem ambitio: miseriarum non finis quæritur, sed materia mutatur. Nostri nos hono-  
 res torserunt? plus temporis alieni auferunt. Candidati laborare desuimus? suffragato-  
 res incipimus. 196 Accusandi deposuimus molestiam? iudicandi nanciscimur. Iudex  
 desit esse? quæsitore est. Alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit? suis C  
 opibus detinetur. Marium 197 caliga dimisit? consulatus exercet. Quintius dictaturam  
 properat euadere? ab aratro reuocabitur. Ibit in Pænos nondum tanta 198 maturus rei  
 Scipio, victor Hannibalis, victor Antiochi, 199 sui consulatus decus, fraterni 200 sponsor:  
 ni per ipsum mora sit, 201 cum Ioue reponetur? 202 ciuiles seruatorem agitabunt sedition-  
 nes

190. DVPLICASSE.] *Passim pœta, triplicasse: nec ideo tamen hic rescribam. Nam alij aliter. vt Diuus Hieronymus: Duas noctes Iupiter copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur. Statius 1 v. Silu.*

O bona nox, iunctaq; vtinâ Tyinthia Lunâ:  
 191. DARE MORBO.] *Vitio, affectui: Stoico sermone. Inde Sani, & Infani.*

192. DIVINITATIS.] *Nam vt Ion ille apud Euripidem, Phæbi libidines accusans:*

ἐνὲρ ἀνδρῶν πῶς κακῶς  
 λέγει δ' ἰανῶν, εἰ τὰ γὰρ θεῶν κακὰ  
 μιμνῆσθ', ἀλλὰ τὰς διδ' ἀσπονδίας τὰς δε:

— hominibus haud nunc ampliùs

Fas est malè loqui aut carpere, ipsi cùm Deum Imitamur acta; sed Deos, hæc qui docent.

Seneca *De Vit. beat. cap. xxvi.* Quibus nihil aliud actum est, quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent.

193. LVCIS METV.] *Dum trepidè eâ fruuntur, cogitatione ventura mox lucis.*

194. MENSVRAM.] *Herodotus vii. connumeratos ita ait, vt decem millia simul in vnum locum venirent, illque sepem circumdarent vmbilico tenus: tum iterum alia dena, & sic de-*

inceps. *De Xerxe sunt ista.*

CAP. XVII. 195. MAXIMA QVÆQVE.] *Aeschylus, in Septem ad Thebas: ἀποβρωμῶν δ' ἐκ-  
 ῥολῶν φέρεται ἀνδρῶν ἀδελφῶν ὄντων ἀγαπητῶν δέ:*  
 Citò casum minatur & adfert virorum felicitium fortuna, nimis pinguis.

196. ACCVSANDI.] *Communius esset, acitandi.*

197. CALIGA.] *Desit gregarius miles esse.*

198. MATVRVS.] *Annos natus xxiv.*

199. SVI CONSVLATVS.] *Duos gessit. vide Fastos.*  
 200. SPONSOR.] *Nam diffidebant L. Scipioni, nec temerè ei Consuli bellum Antiochi credebant. Ipse intercessit, & legatum se fratri iturum promissit. Ita quasi de successu spondidit.*

201. CVM IOVE.] *Ex Valerio interpretare, lib. iv. cap. 1. Voluerunt illi (Africano) statuas in comitio, in rostris, in curiâ, in ipsâ denique Iouis opt. max. cellâ ponere; voluerunt imaginè eius, triumphali ornatu indutam, puluinibus Capitolinis applicare; voluerunt continuum Conslatû. quorum nullum sibi neque plebis cito dari, neque Scio decerni patiando, pæne tantum in honibus recumandis gessit, quantum in emerendis. Adde eundem viii. cap. xv.*

202. CIVILES.] *Tribunicia, & in togâ. Iste autem*

anes, & post fastidiosos à iuvene diis æquos honores, iam senem contumacis<sup>203</sup> exsilij delectabit ambitio. Numquam deerunt vel felices, vel miseræ solitudinis causæ: per occupationes<sup>204</sup> intercludetur otium: numquam agetur, semper optabitur. Excer. XVIII. pe itaque te vulgo, Paulline carissime, & in tranquilliorum portum,<sup>205</sup> non pro ætatis spatio iactatus, tandem recede. Cogita quot fluctus subieris, quot tempestates partim priuatas sustinueris, partim publicas<sup>206</sup> in te conuerteris. Satis iam per laboriosa & inquieta documenta exhibita virtus est: experire quid in otio faciat. Maior pars ætatis, certe<sup>207</sup> melior, Reip. data sit: aliquid temporis tui sume etiam tibi. Nec te ad segetem aut inertem quietem voco: non ut somno, & caris turbæ voluptatibus, quidquid est in te indolis viuæ, demergas. Non est istud quiescere, inuenies maiora omnibus adhuc strenuè tractatis operibus, quæ repositus & securus agites. Tu quidem<sup>208</sup> orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religiose quàm publicas. in officio amorem consequeris; in quo<sup>209</sup> odium vitare difficile est: sed tamen, mihi crede, satius est vitæ suæ rationes, quàm frumenti publici nosse. Istum animi vigorem, rerum maximarum capacissimum, à ministerio<sup>210</sup> honorifico quidem, sed parùm ad beatam vitam apto, ad te reuoca: & cogita, non id egisse te ab ætate primâ, omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa millia<sup>211</sup> frumenti committerentur, maius quiddam & altius de te promiseras. Non deerunt & frugalitatis exacte homines, & laboriosæ operæ. Tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt, quàm nobiles equi: quorum generosam pernicitatem quis vniquam graui sarcinâ pressit? Cogita præterea, quantum sollicitudinis sit, ad tantam te molem obicere.<sup>212</sup> cum ventre humano tibi negotium est: nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec vllâ prece flectitur populus esuriens. Modò intra paucos illos dies, quibus C. Cæsar periit, si quis inferis sensus est, hoc grauissimè ferens, quòd<sup>213</sup> decebat populo Romano superstiti, septem aut octo certè dierum cibaria<sup>214</sup> superesse, dum ille<sup>215</sup> pontes<sup>216</sup> nauibus iungit, & viribus imperij<sup>217</sup> ludit, aderat<sup>218</sup> vltimum malorum obsessis quoque, alimentorum

egestas,

autem accusationes, ob pecuniam Asiaticam non ex si-  
de (ita aiebant) administratam.

203. EXSILII.] Quod Linterni egit, ibi mortuus. Seneca, epist. LXXXVI. Lilius XXXVIII. dist. fuit, Valerius v. cap. 111.

204. INTERCLVDETVR.] Meus, vitæ, bene, si distinguis: per occupationes vitæ, otium numquam agetur.

CAP. XVIII. 205. NON PRO ÆTATIS.] Id est, plus diu iusq; iactatus, quàm ætas tua ferre videbatur. Apparet iuuenem, aut certè viridem ad hoc munus venisse: ut & mox, Maior pars ætatis, certè melior reip. data sit. Et cap. seq. Nunc dum calet sanguis.

D 206. IN TE CONVERT.] Fidem eius obiter laudat, & quod inimicitias aut odia, vsui publico susceperit, licitum vitare.

207. MELIOR.] Viridis & integra.

208. ORBIS TERRARVM.] Omnino præfectus annonæ fuit, nec audio qui Vectigalibus præponunt. Nam diu in isto munere fuit: in illo, non potuit. Quod autem ait orbis terrarum: quid miri? nam eisi ex Africa & Aegypto plurimum: tamen & è prouinciis aliis aduehebatur, decumarum titulo, aut interdum emptionis.

209. ODIVM VITARE.] Sine quia arduum tot millibus hominum satisfacere. his dare his negare, hos admittere ad tesseras in locum mortuorum, hos repellere: sine vniuersè odiosa res, cum ventre agere. nunc

non satis, non tempore, non bonum frumentum metiri: ut sunt interpretantes.

210. HONORIFICO QVIDEM.] Sed mutauit postea. Boëthius in Consol. lib. 111. Siquis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur: nunc cã Præfecturâ quid abiectus? Nec mirum, quia nec talis distributio: longè aberat. At olim, secundus ille à Præfecto vobis.

211. FRUMENTI.] Vett. voce additâ, bene committerentur: at meus, verè, ex quo ego, viro vellem.

212. CVM VENTRE.] Homerus Odys. p. vers. CCLXXXI.

Γαστήρ δ' ἔσθως ἐστὶν ἄπορῶν· λαίμαργον  
Ουλομένην, ἢ πολλὰ κακὰ ἀνθρώποισι δ' ἰδὼσι:  
Ventrem fallere non fas, aut differre latratem,  
Exitiosum, qui mala dat mortalibus ægris.  
& plura, quæ addit.

213. DECEDEBAT.] Libri dicebat: sed puto Pincianum optimè se correxisse. Notum enim adsum eius in vniuersum populum, voce eâ palam testatum: Vtinam vnâ ceruicem haberetis!

214. SUPERESSE.] Legendum, supererant.

215. PONTES.] Inter Puteolos & Baucos, stupendo opere, maria conseruens. Dio videatur, & Suetonius Calig. cap. XIX.

216. NAVIBVS.] Et eas quoque contrahit & tenet, quæ frumentum adferrent.

217. LVDIT.] An illudit.

218. VLTIVM MALORVM.] Homerus Od. μ.

egestas. Exitio panè ac fame constitit, & quæ famem sequitur rerum omnium ruinâ, A  
 furiosi, & externi, & infelicitè <sup>219</sup> superbi regis imitatio. Quem tunc animum <sup>220</sup> ha-  
 buerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura? ferrum, <sup>221</sup> saxa, ignes, <sup>222</sup> Ca-  
 ium excepturi, summâ dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant: cum  
 XIX. ratione scilicet. Quædam enim ignorantibus ægris curanda sunt. causâ multis morien-  
 di fuit, morbum suum nosse. Recipe te ad hæc tranquilliora, tutiora, maiora. Si-  
 mile tu putas esse, vtrum cures, vt incorruptum à <sup>223</sup> fraude aduentium & <sup>224</sup> negli-  
 gentiâ frumentum transfundatur in <sup>225</sup> horrea, ne concepto humore vitietur, & concu-  
 lescat, vt ad mensuram pondusque respondeat: an ad hæc sacra & sublimia accedas, sci-  
 turus <sup>226</sup> quæ natura sit diis, quæ <sup>227</sup> voluntas, quæ <sup>228</sup> condicio, quæ <sup>229</sup> forma? quis ani-  
 mum tuum casus expectet, <sup>230</sup> vbi nos à corporibus dimissos natura componat? quid  
 sit, quod huius mundi grauisissima quæque in medio sustineat, supra leuia suspendat, in  
 summum ignem ferat, sidera <sup>231</sup> cursibus suis excitet? Cetera deinceps ingentibus plena  
 miraculis. Vis tu, relicto solo, mente ad ista respicere? nunc dum calet sanguis, vigenti-  
 bus ad meliora eundum est. Expectat te in hoc genere vitæ multum bonarum artium, B  
 amor virtutum atque vsus, cupiditatum obliuio, viuendi atque moriendi scientia, alta  
 rerum quies. Omnium quidem occupatorum condicio misera est: eorum tamen mi-  
 ferrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant. ad alienum dormiunt somnum,  
 ad alienum ambulat gradum, ad alienum comedunt appetitum; amare & odisse, <sup>232</sup> res  
 omnium liberrimas, iubentur. Hi si velint scire, quàm breuis ipforum vita sit, cogitent,  
 ex quotâ parte sua sit. Cùm videris itaque <sup>233</sup> prætextam sæpe iam sumptam, cùm cele-  
 bre in foro nomen, non inuideris. ista vitæ damno parantur: vt vnus ab illis <sup>234</sup> numere-  
 tur annus, omnes annos suos conterent. Quosdam, cùm in summum ambitionis enite-  
 rentur, inter prima luctantes, ætas reliquit: quosdam cùm in consummationem dignita-  
 tis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse <sup>235</sup> in titulum  
 sepulcri: quorundam vltima senectus, dum in nouas spes vt iuuenta disponitur, inter  
 XX. conatus magnos & improbos, inualida defecit. Fœdus ille, quem in iudicio pro  
 igno-

Πάντες μὲν σαρκοὶ θάνατοι διλοῖσι βροτοῖσι,  
 ἅμα δ' οὐκίτις οὐ θάρσυν καὶ παντὸν ἐπιπέθῃ:  
 Dura quidem miseris mors est mortalibus  
 omnis,  
 Sed pernisse fame, res vna miserrima longè.  
 Linius XXI. Licuit ad Erycem clausos, vltimo sup-  
 plicio humanorum, fame interficere.

219. SUPERBI REGIS. ] Xerxis. Alia causâ in  
 Suetonio.

220. HABVERUNT ILLI. ] Et Præfectus, & Cu-  
 ratores alij. Sed nonne ipse Paullinus tunc erat? opi-  
 nor. nam multos annos gessisse, indicauit. Tamen non  
 ad ipsum dirigit, quia plures inclusit.

221. SAXA, IGNES. ] Vt in seditione solet. Vir-  
 gilius: iamque faces & saxa volant. Ergo ignes,  
 hic faces. Possunt & trahi ad ignes, quos domibus mi-  
 nabantur eorum, quos petebant.

222. CAIUM EXCEPTI. ] Alij, gladium. Illud  
 firmes & explices è III. de Irâ, cap. XIX. Torserat  
 fiduculis, eculco, igne, vultu suo. Quasi Caij vul-  
 tus & ira super omnia tormenta, aut tela.

CAP. XIX. 223. FRAUDE. ] Nequid minus.

224. NEGLENTIA. ] Ne corruptum.

225. HORREA. ] Publica, quæ per singulas regio-  
 nes vrbis (ab Augusto, opinor) structa huic fini erant,  
 sanè multa. Circa CCCVI. credo P. Victorum, descri-  
 ptione vrbis, adnumerasse.

226. QUÆ NATURA. ] Mens & alij prisca, quæ  
 materia sit dei. Dei, nempe totius mundi, ex Stoico-  
 rum scito. Illi definiunt Deum, σώμα νοερόν, καὶ νοῦν  
 ἐν ὄλῳ: corpus intellegens, & mentem in materiâ.  
 Plura alibi de hac sententiâ: sed hic igitur vult queri,  
 de materiâ cui hæc Mens iniuncta.

227. VOLUNTAS. ] Semper bona. At meus aliq,  
 libri, voluptas. Nempe delectatur ipse se, & opere suo.

228. CONDITIO. ] Iouis vnus æterna, ceteri ἐν-  
 αὐραστοῦ pereunt: Stoicus dico.

229. FORMA. ] Iislem, rotunda. Epist. CXIII.  
 & in Menippæâ, de Claudio.

230. VBI NOS. ] Vide epist. LXIV. in fine. D

231. CURSIBVS. ] Mens, & plures: ciuibus.  
 Fuerit, vicibus: & ad Solem Lunamque, sed &  
 planetas, refert.

232. RES OMNIUM LIB. ] Plinius Panegyrico:  
 Neque enim vt alia subiectis, ita amor impera-  
 tur: neque est vllus affectus tam erectus & liber,  
 & dominationis impatiens, quique magis vices  
 exigat.

233. PRÆTEXTAM. ] Magistratum iteratum.

234. NUMERETVR. ] Vt Consules ordinarij  
 fiant. De Irâ III. cap. XXX.

235. IN TITVLVM. ] Vno fructu, vt sepulchro  
 honores inscriberentur. Ita enim solenne poeta:  
 ————— titulo res digna sepulchri.

CAP.

A ignotissimis litigatoribus grandem natu, & imperitæ coronæ assentationes captantem, spiritus liquit. turpis ille, qui viuendo lassus citius quàm laborando, inter ipsa officia collapsus est. turpis, quem accipiendis immorientem rationibus, <sup>236</sup> diu tractus risit heres. Præterire quod mihi occurrit exemplum, non possum. <sup>237</sup> Turannius fuit exactæ diligentie senex: qui post annum nonagesimum, cum vacationem procurationis à C. Cæsare vltro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem à circumstante familiâ plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finiuit antè tristitiam, quàm labor illi suus restitutus est. Adeone iuuat occupatum mori? Idem plerisque animus est: diutius cupiditas illis laboris, quàm facultas est: cum imbecillitate corporis pugnant: senectutem ipsam nullo alio nomine grauem iudicant, quàm quòd illos seponit. Lex <sup>238</sup> à quinquagesimo anno militem non cogit, <sup>239</sup> à sexagesimo senatorem non citat: difficilius homines à se otium impetrant, quàm à lege. Interim dum <sup>240</sup> rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuo sunt miseri, vita est sine fructu, sine voluptate, sine vlllo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit. Quidam verò disponunt etiam illa quæ vltra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & <sup>241</sup> operum publicorum dedicationes, & ad rogam <sup>242</sup> munera & ambitiosas exsequias. At mehercule istorum funera, tamquam minimum vixerint, <sup>243</sup> ad faces & ad cereos ducenda sunt.

CAP. XX. 236. DIV TRACTVS.] Longâ eius vitâ. diu sperant, tandem compos.

237. TVRANNIVS.] Fuit hoc nomine Prefectus annonæ sub Tiberio & Augusto: sed is non potest esse. quare? quia ipse Paullinus iamdiu hoc munus habuerat: quod non potuit, si sub Caligulâ iam isse. Deinde Seneca ait, vacationem Procurationis accepisse: ergo potius Procurator aut Rationalis Principis fuit.

C 238. A QVINQVAGESIMO.] Veteri iure, vacabant post id tempus. Nos in Militiâ, lib. 1.

239. A SEXAGESIMO.] An sexagesimo quinto? Ita Senecâ patre legitur Controu. vltimâ, libri primi. Et mihi maturè nimis mitti Senator videatur, in euo, quod Prudentiæ maximè factum.

240. RAPIVNTVR.] Trahuntur, prensantur.

241. OPERVM.] Quæ patria, & memoriæ suæ dicant.

242. MVNERA.] Gladiatorios & funebres ludos. Ego in Saturnal.

243. AD FACES.] Apparet pueros, & acerba funera, ad faces elata, sed cereis immixtis. Ita noster De Tranquill. cap. XI. & in epist. CXXII. Imò nec ij combusti, sed conditi. Iuuenalis:  
— terrâ clauditur infans,

Et minor igne rogi.

Plinius: hominem, priusquam edito dente, non cremari. Plutarchus, Epistolâ solatoriâ ad uxorem: τοῖς ἄνθρωποις ἐπιθανοῦσιν ἢ τε γοῶς ἐπιπέγουσιν, ἢ ἄλλα θρῶσι περὶ αὐτὰ, οὐκ εἶδος περὶ θανόντων ποιοῦν: Pueris defunctis neque inferias dant, neque alia sollennia vlturpant, quæ in mortuis recepta.

